

PER. *Capsula* subrotunda, subovata, quadrilocularis, quadrivalvis.

SEM. solitaria, subrotunda, hinc convexa, inde plana.

Convolvuli omnia, stylis & corollæ limbo planiore exceptis.

### 80. BREYNIÆ affinis arbor Octandra.

*Arbor* mediocris, superne ramosa; ramis teretibus, glabriusculis, novellis vero subangulatis, subcompressis, tomentoso-incanis.

*Folia* alterna, oblonga, supra glabriuscula, incana, firma, geniculata. Petioli tomentosi, teretes longitud. tertiæ partis uncia.

*Flores* racemosi, terminales, albi, *calyce* tomentoso.

CAL. *Perianthium* quadripartitum: laciniis linearibus, corolla paulo brevioribus, basi crassioribus, sinibus obtusissimis; persistens.

COR. tetrapetala, basi fere connata; subquadrangularis: *foliis* lineari-ovatis, erectis, apice patulis, planis, intus pubescentibus.

STAM. *Filamenta* octo, subulata, corolla sesqui-longiora. *Antheræ* lineares.

PIST. *Germen* ovatum, striatum, columna filiformi staminibus longiore elevatum. *Stylus* nullus. *Stigma* planum, obtusum.

Fructum non vidi: Facie ad Breyniam, Spec. Pl. 503, accedit, ab illa tamen ceterisque Ord. nat. XXXI. staminibus octo ad Corollam proportionalibus distinguitur, dum reliquæ 15-70 gaudent. A Breynia præcise calyce simplice, nec duplici, ut & corolla erecta; petalis linearibus differt.

*Hispanis* PALO DE VENADO h. e. lignum Cervi.

*Habitat* juxta PURNEY missionem Pirtaensium.

### 81. RIVINIA octandra.

*Frutex* duplæ vel triplæ altitudinis humanæ, inter alias arbores elevatus, lignosus.

*Folia*